

(1237) 1238, març, 16

L'abadessa Agnès de Sant Daniel estableix a Joan d'Aialdeus i a la seva esposa Astruga una casa situada dins de la ciutat de Girona, a l'indret de Bellmirall, a cens d'una masmudina, per cinquanta sous d'entrada.

ASD núm. 122, perg. orig., 160 x 270 mm.

Sit notum cunctis quod nos Agnes, Dei gratia abbatissa Sancti Danielis, consilio et uoluntate tocuis conuentus eiusdem, donamus et stabilimus tibi Iohanni de Ayaldeus et uxori tue Astruge et uestris et quibus dare uel dimittere, uendere, stabilire seu quolibet alio modo alienare uolueritis in perpetuum, omnes illas nostras domos integre quas habemus pro alodio francho in ciuitate Gerunde intra muros, in loco uocato Pulcromirallio, que affrontant ab oriente in domibus archidiaconi de Albuciano, a meridie in domibus Raimundi de Serra de Serinano, ab accidente in carraria publica, a circio in domibus Sancti Sepulcri. Sicut de his .IIII.or affrontacionibus predictae domus includuntur, cum exitibus et ingressibus et pertinenciis et tenedonibus et cum cortali qui ibi est et solis et suprapositis et sufferimentis et parietibus et ianuis et finestris et aquis et aquariis et aqueductibus et stillicidiis et cum omnibus aliis in eis habentibus eisque qualicumque modo pertinentibus, prout melius dici uel intelligi potest ad uestrum comodum et uestrorum, sic predictas domos cum omnibus suis proprietatibus et integritatibus uobis et uestris et quibus uolueritis donamus et stabilimus de abisso usque ad celum, tali modo quod uos et uestri teneatis dictas domos bene condirectas et habeatis illas ad omnem uestram uestrorumque uoluntatem perpetuo faciendam, saluo iure Sancti Danielis per omnia et in omnibus, cui dabitur inde annuatim pro censu unam mazmutinam iuceffinam in festo Natalis Domini. Et conuenimus uobis et uestris et quibus uolueritis per nos et per totum conuentus (*sic*) nostrum predictas domos semper facere habere et tenere in pace contra cunctam uiuentem personam. Et propter hoc donum siue stabilimentum confitemur nos a uobis numerando recepisse et penes nos habuisse quinquaginta solidos barchinonenses, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, renunciando excepcioni non numerate peccunie, et si quis hoc rumpere uoluerit, nori ualeat.

Actum est hoc .xvrr. kalendas aprilis anno Domini .Mccxxx. septimo.

+Agnes, gratia Dei abbatissa*. (s. *man.*) Ego Arnallus presbiter et capellanus Sancti Danielis, subscribe*. Sig+num Berengarie de Riuopirarum, sig+num Berengarie de Paleria, sig+num Guilielme de Paleria, sig+num Berengarie de Corniliano, sig+num Alamande de Scala, sig+num Elicsendis de Riuopirarum, qui ista concedimus. Sig+num Petri de Fonteromana. Sig+num Raimundi de Serra.

(s. *man.*) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi Stephani, Gerundensis canonici et publici notarii, cum litteris dampnatis in .IIII. linea et in .V. Bernardus Stephani, Gerundensis canonicus et publicus notarius, subscribo (s. *man.*)

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 252-253